

Dicitur quidem in Canone SI QUIS SUADENTE DIA- BOLO cauf. 7. q. 4. qui violentas manus fuadente Diabolo in Clericum vel Monachum injecerit, anathemati ſubjaceat ſed num hæc formula excommunicationis ſit lata, an duntaxat ſententiæ ferendæ, merito ambigitur. Quandoquidem hæc formula non videatur magis laram ſententiam importare quam hæc, ſit anathematiſmus ſit ſequeſtratus, quæ tamen juxta Gloſſam in Cap. 2. de foro competenti verbo ſequeſtratus, non niſi excommunicationem ferendæ ſententiæ ſignificat: ideoque non ſine fundamento opinantur nonnulli, excommunicationem illam de qua in dicto Canone ſi quis ſuadente Diabolo magis ex interpretatione Doctorum, quam mente auctoris, pro excommunicatione late ſententiæ tandem receptam & habitam eſſe.

XXI. Illud haud dubium, quin labentibus ſæculis continuo frequentiores factæ ſint ſimiles excommunicationes late ſententiæ. Et quidem teſte Martino Navarro in Manuali cap. 27. nu. 49. Ad annum uſque 1398. quo promulgatus eſt Sextus Decretalium, vix inveniebantur 36. caſus excommunicationis late ſententiæ, qui in pauciores quam 26. redigi poſſent. Per ſolum autem Sextum Decretalium (iſto Navarro notante) inducti ſunt 32. caſus excommunicationis late ſententiæ; & per ſolas Clementinas quinquaginta: Poſtea per Bullam Cœnæ, per Extravagantes impreſſa per Conſtitutiones Synodales & Provinciales, per viſitationes & reſervationes ſæcularium & Religioſorum, penè innumeræ. Hæc Navarrus, qui & monet quod videatur valde utilis, imò & neceſſaria limitatio earum aliquid ſaltem quoad forum Conſcientiæ.

XXII. Incommodum & periculum animarum frequenti illa excommunicatione late ſententiæ proveniens multum exaggeravit Godſcalcus Roſemundus ſub initium præcedentis ſæculi in hac Lovaniënſi Academia S. Theologiæ Profeſſor, & Collegii Adriani VI. primus Præſes in ſuo Confeſſionali ita loquens: Valde inconſultum & periculolum eſt, quod Epifcopi in ſuis Statutis ceteri quoque Judices tam faciles ſint in multiplicando cenſuras; unde expediens eſſet, ut etiam inquit Gerſon, ut omnes Conſtitutiones ſententiæ excommunicationis late ſententiæ in Jure vel Statutis contentæ, quarum uſus nullus eſt, aut plus obest quam prodeſt, expreſſâ revocatione caſſarentur in Provinciis & Diœceſibus & in Eccleſia univerſali. Expediens etiam eſſet, ut nulla excommunicationis ſententiæ ferretur de facto à jure vel à judice neque pro præſenti neque pro futuro, niſi pro manifeſta contumacia, quâ quis offendet ſe non paratum audire Eccleſiam. Quo modo aliter haberi debet ſicut Ethnicus & Publicanus ſi Eccleſiam audire paratus eſt: Etiam conſultum & expediens videretur, ut nullus alium excommunicatum vitare teneretur, niſi poſtquam à ſuo judice denunciatus fuerit talis. Et quod ſolus excommunicatus aut ſuſpenſus à iudice, & pro tali denunciatus contrahere diceretur irregularitatem immiſcendo ſe Sacramentis, & quod ſolus talis à potestate abſolvendi in foro conſcientiæ ſpoliatus cenſetur. Poſtremo loco hic à Roſemundo optatum, hodie ex communi Theologorum, & Canonistarum ſententiâ receptum eſt conformiter ad Extrav. MARTINI V. AD EVITANDA Cap. 20.

XXIII. Quid attentis temporum & locorum circumſtantiis hac in parte conveniat, judicandum eſt ab Epifcopis, ac præſertim Summo Pontifice, penes quos eſt exercitium & auctoritas Clavium: ut eis ad ædificationem Eccleſiæ & populis ſibi commiſſi utantur.

XXIV. Ceterum indubitatum eſt, quod ſi omnium conſenſu ad excommunicationem mortalem ſeu anathema, quod præviis monitionibus in veros contumaces & rebelles fertur, requiratur grave & execrabile crimen, multo ſanè gravius & execrabilius eſſe debeat crimen, ob quod fertur excommunicatio late ſententiæ, qua nimirum homo per ſolam tranſgreſſionem, nullâ præviâ monitione, aut verâ in crimine contumaciâ, à corpore Eccleſiæ tanquam Ethnicus & Publicanus reſecatur.

XXV. Illud quoque certum eſt, quod cum excom-

municationes late ſententiæ dependant à virtute & efficaciâ Canonis ſive legis eas infligentis, debeant quoque non ſecus à leges, à quibus dependent, & ad quarum obſervationem ſeruntur, legitime & juxta ſingularum Provinciarum receptos mores promulgari & publicari, ut iis in locis obſervare queant.

CAPUT VII.

Excommunicatio non niſi aliis mediis fruſtrâ adhibitis, & cum magna circumſpectione ferenda.

- 1. Admiſſar periti Medici Præſtatis reſecare membrum non po- teſt, niſi aliis remediis deficientibus.
2. Nec non niſi dolens; & tanquam ultimum remedium.
3. Synodus Tridentina inhibet Judicibus procedere per Cenſuras in cauſis civilibus antequam alia media fuerint fruſtra tentata.
4. In cauſis etiam criminalibus quantum fieri poteſt vult à Cenſuris abſtinere.
5. Si executio ſententiæ haberi queat per invocationem Brachii ſæcularis, non eſt utendum cenſuris.
6. Hinc in Belgio ob debita civilitas non ſolet per Cenſuras procedi.
7. Experiencia docet ordinariè plus nocere, quam prodeſſe Eccleſiæ, ut cenſuris ad deſenſionem temporalium.
8. Non tantum delinquentis contumacia, & criminis enormitas ſed & alia circumſtantie in ferenda excommunicatione attendenda ſunt.
9. Prælati attente conſiderare debent bonum pacis & unitatis ubi de excommunicatione agitur ex S. Auguſtino.
10. Huic regule inſiſit Apoſtolus & poſt ipſum Patres.
11. Hinc prima regula in ferendis Cenſuris obſervanda eſt, ne eradican- do zizania eradiceſtur & triticum.
12. Secunda hanc regulam non facile ad excommunicationem procedendum, dum perſona aut crimen habet ſociam multitudine.
13. Quomodo agendum cum multitudine peccante.
14. Ex dictis ſtatuitur ſecunda regula in ferendis Cenſuris ſervanda.
15. Hæc regula merito attendenda dum agitur de repellendis publicis criminofis à ſuſceptione Sacramentorum.
16. Regule illæ offendent, non facile ad excommunicandos Principes eſſe progrediendum.
17. Editio Caroli V. ventum, in Belgio Judicibus Eccleſiaſticis ubi Cenſuris in Judices laicos ratione contentionis ſuper Jurisdictione.
18. Idem in ſummo Concordata Brabantia.
19. Similiter & Editum Philippi II. ad Synodum Cameracenſem.
20. Quid in Gallia quoad hoc punctum obſervetur?



Uemadmodum periti medici ad membrorum reſecationem non accedunt, niſi neceſſitate ac gravitate vulneris compulſi, aliisque mediis fruſtra tentatis, ita pia Mater Eccleſia ad membrorum ſuorum reſecationem non niſi neceſſitate urgente, aliſque omnibus mediis fruſtra adhibitis, cum magno animi dolore accedit. Cum dolore enim amputatur (ait Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 27.) etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, ſi poſſit ſanari medicamentis: ſi non poſſit tunc à medico bono abſcinditur. Sic Epifcopi affectus boni eſt, ut optet ſanare infirmos, ſerpentia auferre ulcera, obducere aliqua, non abſcindere, poſtremo quod ſanari non poteſt, cum dolore abſcindere.

II. Et S. Leo epil. 93. ait: Nonnulli Chriſtianorum factile communio denegatur, nec ad indignantis hoc fiat arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem INVITUS & DO- LENS quodammodo debet inferre animus.

Hæc de cauſa excommunicatio ultimum remedium, & ultima pena dicitur.

III. Hinc ex præſcripto Synodi Tridentinæ ſeſſ. 25. cap. 3. De Reformat. In cauſis judicialibus mandatur omnibus Judicibus Eccleſiaſticis cujuſcunque dignitatis exiſtant, ut quandoque executio realis vel perſonalis in quali- bet parte iudicii propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo quam deſignando, à cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu interdicto.

Deinde ſubjungit variis mediis, quibus judices ſententiæ

rum ſuarum executionem urgere poſſunt, vult, ut non procedatur ad excommunicationem, niſi iis omnibus adhibitis executio haberi nequeat, ſiquæ erga Judicem contumacia.

IV. In cauſis quoque criminalibus (ait Synodus) ubi executio realis vel perſonalis, ut ſupra fieri poteſt, erit à Cenſuris abſtinentium.

V. Cum verò jam pridem probaverit Eccleſia, ut ubi potestas Eccleſiaſtica haud ſufficit potestas civilis jungatur (quod hodie dicimus implorare brachium ſæculare) uti videre eſt in Canone 5. Antiocheno, relecto in Concilio Calched. actione 4. Nequaquam ad excommunicationem procedendum erit, ſi executio ſententiæ obtineri, aut rei contumacia frangi per implorationem brachii ſæcularis poſſit.

VI. Quapropter hic in Belgio excommunicationes ob debita civilia vix locum habere poſſunt, aut late admittuntur, eo quod per alia media Juris, & quidem facilis, & minori cum ſtrepitu executio in ſimilibus ſperari poſſit, quam per cenſuras.

VII. Sanè excommunicatione aliſque cenſuris moderate admodum & parè utendum pro deſenſione temporalium & illud ſuadet, quod experientia doceat, uti jam pridem notavit Gerſonius De Potestate Eccleſ. conſiderat. 4. quod applicatio gladii ſpiritualis ad deſenſionem temporalium, conſulionem magnam in Eccleſia, vilipenſionem vel contemptum Evangelicæ hujus cenſuræ inducit & inducat. Itaque, ut Gerſonius, ſicuti temporalitas addita eſt Eccleſiæ pro dote ſua, videri poſſet aliquibus, quod ad ejus deſenſionem ſimiliter addere ſuffocet ad verſus impetiores penam, vel cenſuram temporalem, ut eſt mulctatio pecuniaria, vel corporalis detentio, vel arreſtatio bonorum propriorum.

VIII. Inſuper cum hæc pena ſit graviffima, trahatque ſecum ſeparationem violentam membri à ſuo corpore, non tantum gravitas delicti & contumacia delinquentis attendenda ſunt, ſed & perſona excommunicandæ conditio, nec non temporum & locorum circumſtantia expendenda: ut omnibus ritè perpenſis videatur, num excommunicationis in his circumſtantiis ſperandum ſit effectus ab Eccleſia intentus: atque ita non temerè, ſed cum magna circumſpectione à Prælatiſ procedatur.

IX. Regulas prudentiales hic ſervandas tradit S. Auguſtinus lib. 3. contra Epifcopum Parmeniânem atque imprimis cap. 1. hanc fundamentalem: Omnis pia ratio & modus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, unitatem Spiritus in vinculo pacis maxime debet intueri, quod Apoſtolus ſuſtinenti in vicem præcepit cuſtodiri, & quo non cuſtodito medicina vindictæ, non tantum ſuperfluâ, ſed etiam pernicioſa, & propterea jam nec medicina eſſe convincitur.

X. Huic regule inſiſtiſſe Apoſtolum multis offendit; laudatque S. Cyprianum & Epifcopos Africanos quod unitatem ſcindere noluerint licet ratio non deelleſet, propter compenſationem (ait) cuſtodienda pacis, & unitatis; propter ſalutem infirmorum, & tanquam lactentium frumentorum, ne membra Corporis Chriſti per ſacrilega ſchiſmata laniarent.

XI. Prima itaque regula, quam in ferenda excommunicatione ſervare debent Prælati, eſt, cavere ne per excommunicationem eradican- do zizania, eradiceſtur & triticum.

XII. Hanc regulam ex dictis Chriſti confirmanſ ait: num. 13. Nam & ipſe Dominus cum ſervis volentibus zizania colligere dixit, ſinite uragne crefcere uſque ad meſſem: præmiſit cauſam dicens, ne forte cum vultis colligere zizania, eradiceſtis ſimul & triticum. Ubi ſatis offendit, cum metus iſten non ſubſeſt, ſed omnino de frumentorum certa ſtabilitate certa ſecuritas manet, id eſt, quando ita cujuſque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos proſiſtis, vel non tales habeat deſenſores per quos poſſit ſchiſma contingere; non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in qua tanto eſt efficaſior emendatio pravitate, quanto diligentior conſervatio charitatis.

Quandonam verò id ſine labe pacis, & periculo ſchiſmatis fieri poſſe videatur exponit his verbis: Tunc autem hoc ſine labe pacis & unitatis, & ſine læſione frumentorum fieri po- teſt, cum congregationis Eccleſiæ multitudo ab eo crimine, Van Elpen Jur. Eccl. P. III.

quod anathematizatur aliena eſt, Ratio eſt ſubjungit, Tunc autem adjuvat Præpoſitum potius corripientem, quam criminofum reſiſtentem: tunc ſe ab ejus conjunctione ſalubriter continet, ut nec cibum quiſquam cum eo ſumat, non rati- bieiſimicâ, ſed coercionem fraternâ. Tunc etiam ille & timore percucitur, & pudore ſanatur, cum ab univerſa Eccleſia ſe anathematizatum videns, ſociam turbam, cum qua in deſpectu ſuo gaudeat, & bonis inſulset, non poteſt invenire. Et revera ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, divina diſciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt: nam conſilia ſeparationis & inania ſunt, & pernicioſa atque ſacrilega: quia & impia & ſuperba ſunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigunt animoſos malos.

XIII. Ne tamen videatur correctio multitudinis peccantis planè negligenda, paucis interjectis ſubiicit Auguſtinus nu. 16. Turba autem iniquorum, cum facultas eſt in populis pro- mendi ſermonem generali oburgatione ferienda eſt: & maxime ſi occaſionem atque opportunitatem præbuerit aliquod Domini flagellum de ſuper, quo eos appareat pro ſuis meritis vapulare. Tunc enim aures humiles præbet emendatorio ſermoni calamitas auctorum, facilius in gemitum conſitendi, quam in murmura reſiſtendi, aſſiſta corda compellit.

XIV. Altera igitur Regula in ferenda excommunicatione ex præcitatis verbis Auguſtini ſervanda eſt: ne facile procedatur ad excommunicationem, dum vel ipſum crimem, vel perſona excommunicanda ſociam habet multitudinem.

XV. Hæc regule merito quoque expenduntur à Prætoribus aliſque Eccleſiaſticis in corripiendis publice, aut removendis à Sacramentis notoriis & ſcandalofis peccatoribus, quod & in- nuit Auguſtinus Epif. 153. num. 21. in ſua ſecondæ editione.

XVI. Ex allegatis Regulis conſiſtit inſuper, magnâ circumſpectione & prudentiâ procedendum eſſe, dum de Principibus eorumque miniſtris excommunicandis deliberatur: eum ſi ſoleant habere multitudinem ſibi ſociam, multoque ſortiti ſuorum criminum deſenſores.

XVII. Et quia experientiâ comperturn eſt, excommunicationes vel cenſuras Eccleſiaſticas in miniſtros Regios, præſertim ob conſiſtitam jurisdictionis, vibratas, plus contentionis & turbationis in Republicam & populum parere, quam ædificationis, jam pridem hic in Belgio cautum fuit Edicto Caroli V. de 4. Octob. 1540. extante parte 1. Edictorum Fland. lib. 3. Rubr. 1. quod Judices Eccleſiaſtici uti non poterunt cenſuris contra Judices Regios in his quæ ad horum officium ſpectant: ſed ſi ſuam jurisdictionem lædi prætendant, jubentur de eo per libellum informare Judices laicos; qui ſaltem ad bimeſtre ab ulteriore gradu ſubſiſtere debent, ut interea Superiorem horum Judicum informare queant. Verba Edicti ſunt: Deſgelycks om te verbueden die queſtien ende gheſchillen die dagheleker ryſen tuſſchen de Gheeftelicke Rechteren ende onſe ende voorzien tot der ſchandalſatie daer wyt ſpenyende. Wy ordonneren ende ſtatueren, dat de voorſeyde Gheeftelicke Rechteren niet en ſollen moeghen ghebruucken van cenſuren ofte van monitiën cominatoire, van cenſuren toeghen onſen Officieren, ende Werlicke Rechteren ter cauſen van haeder officien: maer ſullen ghebruucken van requiſitiën, naer de vvelcke de Weerlicke Rechteren (indien zy de zelve niet en willen obtempereren) ſullen ghehouden vveſen te ſchorſene alle voordere proceduren voor den tyd van een- der maend, ten bende dat die voorſchreve Gheeftelicke Rechteren oft haerlieder Promoteurs ende Officieren, moghen tyds hebben hemlieden te voorzene ende veroverſuene behoorlicke proviſie van juſtitië van den Overſten van de voorſchreven Weerlycke Rechteren ende niet vveſen ghefruſtreert van haere requiſitiën: op de peyne dat inden daerenboven onze voorſchreven Officieren continueerende voordschreven proceduren daer af arbitralicken ghecorrecteert te vwordene. Id eſt: Similiter ad occurrendi quæſtionibus & diſſidiis quæ quotidie inter Eccleſiaſticos Judices & noſtros enaſcuntur & providendum ſcandalis inde orientibus. Mandamus & ſtatujm, ut in poſterum præſatis Judicibus eccleſiaſticis non liceat ut cenſuris aut monitionibus comminatoriis, contra miniſtros noſtros,

judicesque saeculares, ratione officii ipsorum: Verum utentur requiitione, quia praemissa tenebuntur judices saeculares (casu quo eidem obtemperare noluerint) ad mensum unum ab omni ulteriori processu cessare, in finem, ut praedictis judicibus Ecclesiasticis aut eorum Promotoribus, & Ministris tempus superpetat quo sibi provideant, & debitam Justitiae administrationem impetrent, & ne requisitione sua frustentur; arbitrarie correctionis poena indicta, si eo casu praedicti nostri Ministri in praedicto processu ulterius perrexerint.

XVIII. Et art. 29. tit. 9. Concordatorum inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem habet, Insuper visum est Commissariis, quod si super praemissis, & articulis superius non decisus, dubium emerget, aut difficultas oriatur inter Justiciarios Principum, talis difficultas terminari, & sedari debeat, & mutuis communicationibus, vel litteris, ita quod una Jurisdictione aliam non turbet, aut impediatur.

XIX. Similiter & in Edicto Philippi II. ad Synodum Provinciam Cameracensem art. 16. expressè decernitur, ut si Episcopi preterant per Judices Regios subalternatos Jurisdictionem suam in aliquo violari, recursum habere debeant ad Concilium Regium Privatum, ut hac de controversia decernat quod juris.

XX. Quod Edicto Caroli V. pro Belgio decretum fuit, id & in Gallia statutum & jam pridem observatum fuisse multis contendit Carolus Frevretius De Abusu lib. 1. c. 6. una tamen monens, verum non esse Episcopis contra Judices laicos per censuras procedere, si notorie in materia pure Ecclesiastica, puta materia doctrinae contra Jurisdictionem & auctoritatem Episcoporum attentarent; quod & exemplo facti confirmat. Videri etiam potest Petrus De Marca lib. 4. De Concordia Saecul. & Imp. cap. 21. ubi ostendit, quod ratione contentiones super Jurisdictione Ecclesiastica inter Episcopos & Consiliarios Regios decidenda sint per Supremum Regis Concilium.

CAPUT VIII.

De Forma & ritibus ferendae excommunicationis.

- 1 Olim nulla specialis forma aut ritus notissimus fuisse.
2 Episcopus sententiam excommunicationis simpliciter proferbat.
3 Labentibus saeculis excommunicationes frequentiores facta ceperunt vilescere.
4 Hinc necesse fuit externos ritus eis adungere.
5 Ex praescripto Pontificis Romani Episcopus cum 12. Presbyteris excommunicationis sententiam proferat.
6 Quod ritus hic ritus ex antiqua disciplina descendat, & quomodo ab haec differat.
7 Ritus hodiernus extinguendi candelas ardetes est recentioris instituti & haereticis Graecis ignotus.
8 Aliqui credunt eum saeculo 11. non esse antiquiorem.
9 Eum esse antiquiorem evincit Regio Abbas Prumiensis.
10 Non pertinet ad substantiam aut efficaciam excommunicationis, sed ad terrorem incutendum.
11 Ad sustinendam auctoritatem excommunicationum necesse fuit implorare potestatem saecularem.
12 Ad incutendum terrorem pertinent quaedam expressiones verborum.
13 Item quod in fordescent per annum habeatur suspectus de haeresi.
14 Vult Pontificale hodiernum excommunicationem notificari per Parochias & vicinis Episcopis: qui est ritus vetustissimus.
15 Semper in Ecclesia excommunicatus ab uno Episcopo ab omnibus vitandus fuit.
16 Hanc disciplinam non introduxit, sed confirmavit Synodus Nicana.
17 Hinc nos involuit notificandi excommunicationem per litteras.
18 Sententia excommunicationis in Scriptis, & expressa causa ferri debet.
19 Copia authentica dari debet excommunicato.
20 Haec observanda dumtaxat in excommunicatione ferendae sententiae; quid in lata?

Ritus Ecclesiae saeculis nulla specialis legitur excommunicationis forma, aut certus ritus praescriptus, sed in hoc unum erant praerlati, ut accurate examinarent causam excommunicationis, ipsiusque criminosis dispositionem; an nullo alio leniori remedio

ad poenitentiam & correctionem adduci posset, quemadmodum late describitur lib. 2. Constitut. vulgo Apostolicarum. cap. 37. nulla facta mentione de aliqua forma ritus in ferenda excommunicationis sententia servandis; imò simpliciter dicitur cap. 38. si praemissis tribus monitionibus, aliquis durus, obstinatusque erit, die Ecclesiae; hanc si contempserit, neque audire voluerit sit tibi ut Ethnicus & Publicanus; & ne eum ad Ecclesiam tamquam Christianum admittas; imò tamquam Publicanum devota.

II. Itaque Episcopus adhibito Clero suo, sententiam excommunicationis simpliciter, nullo externo aut speciali ritu adhibito pronuntiabat, & quem a poenitentia alienum videret & obduratum, hunc cum morte ut insanabilem ejiciebat ab Ecclesia, ut dicitur cap. 42. lib. citati.

III. Verum cum labentibus saeculis multiplicarentur excommunicationes, ipsique judices non eam moderationem & circumspectionem in iis ferendis adhibere viderentur, quam hujusmodi poenarum institutio requirebat nec semper finem quem Ecclesia intendit, pra oculis haberent, ceperunt quoque laicis praesertim potentioribus vilescere, & contemni.

IV. Ut ergo auctoritas major ipsis censuris conciliaretur, terrorque populo incuteretur, ceperunt circa saeculum nonum aut decimum certae formulae & ritus introduci, quae & sensum majus incrementum acceperunt.

V. Dicit hodiernum Pontificale Romanum titulo De ordine excommunicandi, Quando anathema, id est, sollemnis excommunicatio pro gravioribus culpis ferri debet, Pontifex paratus amictu, stola, pluviali violaceo, mitra simplici, assistentibus sibi duodecim Presbyteris superpelliceis indutus, & tam ipso, quam Presbyteris candelas ardetes in manibus tenens sedet super fastidiorium ante altare majus, aut alio loco publico, ubi magis sibi placebit; & ibi pronuntiat & proferat anathema.

VI. Hinc confectus Episcopi assistentibus 12. Presbyteris, vestigium & reliquiae sunt veteris disciplinae, quae causas Clericorum volebat ab Episcopo assistente sibi Clero suo discuti & terminari, uti saepius in hoc opere monuit: sed haec Presbyterorum sive Cleri assistentia non erat mere caeremonialis, uti est hodie; sed judicialis: nam & ipse in examine ac discussione causa Episcopo assistebat; unumque cum Episcopo Sententiam constituerebat.

VII. Ritus candelas ardetes in manibus tenendi, easque pronuntio anathemate, in terram projiciendi, quemadmodum Pontificale praescribit, ritus est recentioris instituti, solis Latinis notus, Graecis haec tenentur ignotus; uti notat Christianus Lupus tomo; Schol. in Canones pag. 829.

VIII. Eum non esse antiquissimum fatetur ibidem pag. 830. Lupus, dicitque, se ignorare vetustiores ejus memoriam, quam a Lemovicensi Synodo celebrata anno 1031. ubi Sess. 1. Synodus excommunicat quosdam alienarum rerum raptores sub hac formula: Sicut haec lucerna extinguitur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguitur in conspectu Sanctorum Angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem venerint.

IX. Licet fateatur, ritum hunc primis Ecclesiae saeculis fuisse ignotum, nihilominus eum fuisse in Ecclesia notum ante dictam Synodum, evincitur ex Regione Abbate Prumiensi qui floruit circa initium saeculi decimi; adeoque integro saeculo ante dictam Synodum. Hic autem Lib. 2. De Disciplina Eccl. cap. 4. 12. refert formulam excommunicationis cum hac clausula: sicut haec lucerna extinguitur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguitur in conspectu SS. Angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem venerint.

Imò videtur formula haec a Regione tamquam tum temporis usitata referri; unde incertum est, quo praecise tempore introducta sit.

X. Hoc certum, hunc ritum nullatenus ad substantiam spectare ipsius excommunicationis, neque ei majorem aliquam vim aut efficaciam addere; sed ad exprimendum vivacius ipsum excommunicationis effectum & terrorem illius incutendum, ut necesse esse inductum; idque verisimiliter circa saeculum nonum & decimum, quando ipsae excommunicationes

ationes ob suam frequentiam vilescere & contemni ceperunt.

XI. Similiter labentibus saeculis ad sustinendam auctoritatem excommunicationum opus fuit laicam potestatem implorare; ut qui gladio spirituali a vitiis aut errore non revocarentur poena temporali compellerentur. Et quidem saeculo 13. a S. Ludovico Rege Galliae decretum legimus, ut si aliqui per annum contumaces extiterint, ex tunc compellantur redire ad Ecclesiasticam unitatem; ut quos a malo non restrahit timor Dei, saltem poena temporalis compellat. Unde praecipimus (an) quod Balvii nostri omnia bona talium excommunicatorum mobilia & immobilia post annum capiant, nec eis aliquo modo ea restituant, donec praedicti absolvi fuerint & Ecclesiae satisfecerint. Plura vide in hanc rem apud Du Cange in Glossario verbo Excommunicati, qui ibidem notat, interdum etiam ad absolutionem petendam a Judicibus Regis coactos fuisse sub poena carceris.

XII. Eundem in finem tendunt execrationes & terribiles verborum formulae, quibus ipsa sententia excommunicationis pronuntiat, quae variae sunt pro diversitate formularum; atque inter alia in formula Pontificalis dicitur: Et damnatam cum diabolo & Angelis ejus, & omnibus reprobis in ignem aeternum damnamus donec a laqueis diaboli respiciat &c.

XIII. Ad idem tendit, quod recentioribus decretalibus similiter inductum est, & cujus meminit Synodus Trid. Sess. 23. cap. 3 de Reform. ut si obdurato animo censuris annexus, in illis per annum inloderit, etiam contra eum tamquam de haeresi suspectum procedi possit. Quod tamen hodie juxta suum rigorem non observatur, nisi in provinciis ubi tribunal Inquisitionis est stabilitum, uti monet Fleury in Institutionibus Juris Ecclesiastici parte 3. cap. 22. in fine.

XIV. Quod verò ex Pontificalis praescripto injungatur ut prolato anathemate sive excommunicatione, Epistola Presbyteris per Parochias, & etiam vicinis Episcopis mittatur, continens nomen excommunicati & excommunicationis causam, ne quis per ignorantiam ulterius illi communitet; ritus est admodum antiquus, & ex traditione Apostolica ad nos transmissus.

XV. Hoc enim semper in Ecclesia usitatum fuit, ut excommunicatus ab uno Episcopo, ab omnibus vitandus esset, & reputandus tamquam Ethnicus & Publicanus. Hujus disciplinae exemplum habemus in Marcione, qui ab Episcopo ob stuprum excommunicatus cum Romam venisset post mortem Hyginii Papae, & a Clero Rom. in communionem admitti postulasset, respondit Clerus, se id facere non posse sine arbitrio & consensu Episcopi ejus, uti latius ex Ephiphano refert Baronius ad anno 146.

XVI. Hanc disciplinam non introducens, sed renovans Synodus Nicana I. Canone 5. statuit, ut de his qui communicantur sive ex Clero sive ex laico ordine ab Episcopo nisi uniuscujusque Provinciae servetur haec sententia: iecundum Canonem qui pronuntiat, ut qui ab aliquibus abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.

XVII. Ne igitur ignorantiam praetenderent Episcopi, jam pridem usitatum fuit, ut excommunicationis sententia per Parochias ubique publicaretur, & Episcopis intimaretur. Hinc Regino Abbas Prumiensis relatam formulam excommunicationis saeculo 11. usitatum subiungit: deinde epistola Presbyteris per parochiam mittantur continentes modum excommunicationis omnis in quibus jubeantur ut diebus dominicis post lectionem Evangelii plebibus sibi commisis publicè annuntient ipsam excommunicationem, ut ne quis per ignorantiam communicet excommunicato; oportet etiam ut aliis Episcopis ipsa excommunicatio manifestetur. Haec ille lib. 2. De Ecclesiasticis cap. 419. dictaque sua confirmat ex Can. 2. Toletani I.

XVIII. Praeter verborum formulas, & externos aliquos ritus ad terrorem adhiberi solitos, recentior quoque disciplina induxit, ut qui excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expressè describat, propter quam excommunicatio proferatur. Cap. 1. De Sent. Excommunicationum in VI.

XIX. Ubi in super praecipitur excommunicanti: excommunicatum sive interdictio interveniat. Van Espen Jur. Eccl. P. 111.

plum ejusmodi scriptura excommunicato tradere intra mensum, si requisitus fuerit, super qua requisitione fieri vult publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici sigillo authentico consignatas.

XX. Et haec quidem in excommunicatione ferenda sententia juxta modernam Ecclesiae disciplinam servanda sunt: Quoad excommunicationem verò lata sententia servari debent illa, quae in legis aut Canonis promulgatione, & confectioe praescripta sunt.

CAPUT IX.

De Interdicto.

- 1 Interdictum hodie sumitur pro distincta specie censura.
2 Descriptio interdicti.
3 Quomodo excludatur excommunicatio?
4 A suspensione quomodo distinguatur.
5 Per interdictum non vetatur usus orationum rerum Divinarum.
6 Allegata descriptio interdicti accommodata Recentiorum placitis.
7 Interdicti divisio; & quid interdictum locale.
8 Quid interdictum personale?
9 Mixtum ex utroque.
10 Interdictum locale generale describitur.
11 Quid interdictum generale civitatis aut villa vel castris continentur?
12 Interdictum locale particulare: & Ecclesia particulari interdicta quid comprehendatur?
13 Interdictum personale generale.
14 An Clero interdicto & populus censetur interdictus vel a converso?
15 Quid interdictum personale speciale?
16 An interdicti locali meminerit S. Basilii?
17 De hoc interdicto non loquitur S. Augustinus.
18 Interdicti locali meminisse videtur S. Gregorius Turonensis.
19 Usus interdicti generalis maxime invaluit circa saeculum 10. & sequentia; & quae hujus occasio?
20 Illius ritus forma praescripta & probata in Synodo Lemovicensi.
21 Eam novam fuisse testantur Auctores coevi.
22 Interdicta praesertim Generalia posterioribus saeculis multum frequentia fuerunt.
23 Populus per illa Divinis Officiis & Sacramentis atque instructionibus frequenter sine propria culpa privabatur; idcirco Pontifices interdicti rigorem mitigare ceperunt.
24 Alexander III. permisit Baptismum administrari parvulis, & poenitentias morientibus.
25 Innocentius III. indulget praedicari verbum Dei, & dari Sacramentum Confirmationis; & Clericis sepulturam in caemeterio.
26 In Conventualibus Ecclesiis submissa voce recitari Divina Officia; utpote peregrinis & Crucis Signatis etiam sanis deum Poenitentia.
27 Gregorius IX. permisit in Ecclesia interdicta Missarum solemniam semel in hebdomada sub certis conditionibus celebrari.
28 Amplius de interdicti rigore relaxavit Bonifacius VIII.
29 Ratio relaxationis petita a devotissimo spirituali quod populus patitur.
30 Judices Ecclesiastici nimis circumspecti, & potius ex cupiditate quam charitate Interdicta ferebant.
31 Constitutio Bonifacii VIII. contra haec caeremonia Interdicta.
32 Concordata Brabantia ad scandala vitanda modum interdictis ferendis praescripserunt.
33 Id ipsum praescriptum a Synodo Basileensi.
34 Non sine magna causa & moderatione & circumspectione interdictum generale infligendum.
35 Major causa & prudentia in ferenda hac generali censura quam excommunicatione requiritur.
36 Ratio eo debet esse major quo latius se interdictum extendit.
37 Qui effectus interdicti circa cessationem a Divinis?
38 Per celebrationem in loco interdicto incurrit irregularitas.
39 Interdictum differt a simplici cessatione a Divinis.
40 Haec minor quam interdictum, praesertim generale, habet incommoda.

Inter species verae & proprie dictae censurae Ecclesiasticae hodie uno consensu non vetatur interdictum; & accipitur pro censura ab excommunicatione & suspensione distincta; quamvis & in his censuris aliquod interdictum sive interdictio interveniat.